



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses  
Viator**

**Millieu, Antoine**

**Lugduni, 1636**

Libri Qvinti Argumentum, & Synopsis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](#)



# LIBRI QVINTI

*Argumentum, & Synopsis.*

**N**VNTIAT'A Hebræorum fuga, Pharao raptim cogit, quidquid curruum, equitum peditumque potest. Metus, ne spoliis Ægyptiis onusti longius abirent fugitiui, vndique dominos indignantes properè exciuit ad seruile bellum, tanto numero, ut sexcenta armatorum millia facile se ex fuga retracturos considerent, quanuis tanto freta duce, quantus Moses. Qui positis Beelzephon inter, & Magdalum castris ad Phiairoth, clausa vndequaque fuga, vt clarius esset diuinum auxilium desperantibus Hebræis, & insolentior Ægyptiis audacia ad persequendum, iubetur imminente iam Pharaone, scisso mari in aduersum littus viam aperire populo, admirabili, si alias vñquam, Dei prouidentia sternente, & muniente breuissimo tempore viam per medias, suspensis hinc inde montibus, aquarum valles. Suum interim equitatum vtrinque in fluctuum crepidine disponit Deus, quem signo dato in Pharaonem cæca fiducia dementissimum, eiisque currus, & equites immittat, & Ægyptios obruat reuoluto mari, dum Pæana canentes Angeli deducunt susceptam ex illo typico Baptismo Synagogam, Ecclesiæ sponsæ simulacrum; quam mirabiliore è Baptismo suscepitam, & vnguentis gratiæ delibaram, ornatam, armatamque virtutibus, meritò sponsus similem facit formidabilibus illis alis Equitū suorum, Cant. 1. 8. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilauit te, amica mea.* Ex illo Dei pugnantis apparatu nonnulla Muis singendi data licentia; sed argumento congruens, quam Synopsis dabit, & numeri ad margines.

I. Via recta ex Ægypto in Chananitidem per Philistæos consulto relicta, ne periculosis tentarentur

Hebræi

144 *Libri V. Argumentum,*

Hebræi bello , Exod. 13. 17. Domabuntur posteà à Sam-  
sone , & aliis ducibus Philisthæi.

2 Mansio in Socothe , quæ secunda à tabernaculis ibi  
primum fixis ; tertia paulò pòst in Etham.

3 Nuntiatur Regi fugisse Hebræos : inde tumultus  
tota Ægypto , & concursus ad arma.

4 Pharao conuocat suos , & exemplo ad arma hor-  
ratur : spem facit ex locorum angustiis , & fauibus , in  
quas se fugitiui coniecerant inter Magdalon & Beel-  
zephon.

5 Ægyptij armantur ab ipsis etiam vxoribus , studio  
recuperandorum monilium , & commodatae vestis.

6 Regina ipsa Lycoris singitur præbere arma Pha-  
raoni , & spem facere certissimæ victoriæ , oblato sibi  
somnio , & Iisi interprete , pisces Erythræi & coruos sagi-  
naturum Regem.

7 Amens Pharao Chenchris insequitur fugientes : cur-  
rus illius sexcenti falcati singuntur : & tales fuisse pro-  
bable est , ad maiorem Hebræorum terrorem.

8 Mansio , seu statio tertia populi ad Etham , vbi Mo-  
ses cognoscit diuinum consilium in præfenti Synagogæ  
periculo , & partu ipso libertatis filiorum Dei , cui Dia-  
bolus in Pharaone , & per Pharaonem insidiatur. Ergo  
Vati obiicitur Signum illud magnū , quod Ioanni in cœlo  
visum , Apoc. 12. *Mulier parturiens , amicta Sole , &c.* ex quo  
tentationes Synagogæ , & Ecclesiæ ab impiis Regibus in-  
telligat , & obstetricem Dei prouidentiam.

9 Draco magnus rufus , caput impiorum Diabolus :  
Pharao Tyrannos inter persecutores cornu belluæ pro-  
pè primarium insidiatur Puerperæ.

10 Synagoga tamen , tum typica mulier feliciter eni-  
titur : tutelares adsunt Angeli , qui matrem , prolémque  
tutentur præsidio , eámque in solitudinem transportent ,  
ibique alant , & prolem masculam in spem regni diuini.

11 Allegorica explanatio Signi magni.

12 Moses iubetur ducere in Phiairoth , Exod. 14. 2.  
positis ibi castris in angustis fauibus ad rubrum mare ; &  
imminentibus

imminentibus à tergo Aegyptiis : tentanda populi spes,  
& fiducia in Deum.

13 Trepidatio Israëlitarum in periculo imminente:  
desperationem spargit in castra draco , injecto uno ex  
Acedia crinibus colubro , qui murmura suggerat , &  
blasphemias in Moysen linguas incitet.

14 Flagitosissima populi in Moysen animorum , lin-  
guarumque virulentia redire in vincula , & ergastula co-  
gitantis.

15 Populi querelas indignissimas grauissimè refellit  
Moyses , & fiduciam erigit promissio maximo omnium  
miraculo , viâ munitâ medio mari , &c.

16 Orat opem Moyses , & præsentem impetrat , trans-  
latâ statim columnâ , quæ aggeris instar à tergo sit Israë-  
litis , opposita & caliginosa Aegyptiis .

17 Intentis ad miraculum in littore Hebreis , quibus-  
dam fortè etiam in aqua , propius ut spectent , stantibus ,  
spem , fidemque suadet Moyses .

18 Percussum virgâ , & momento scissum mare aduer-  
sum usque in littus latissimo tramite ; liquidis tamen aquis  
hinc inde altissimâ , & præruptâ crepidine stantibus .  
Austro via spirante munita , stratâque gemmea glareâ .

19 Ingreduntur iter hinc inde crystallinum Hebrei ,  
allucente à tergo longè columnâ .

20 Angeli interim Pæana canunt Domino , cuius vox  
in magnificentiâ super aquas duplices Argumentum car-  
minis , duplex Baptisma : typicum illud prius Mosaicum  
sub nube , & Noeticum in arca : mirificum aliud Christi ,  
per utrumque adumbratum .

21 Christi Baptismus quanto nobilior submerso in  
aquis peccato , & Diaboli Pharaonis regno , quod pertinet  
allegoria .

22 Per illas fantes vallium inter aquarum montes tu-  
tissimo præsidio deducit populū Pastor Deus , velut oves .

23 Pharaonis immiserabilis superbia , quæ tanto mi-  
raculo nihil mouetur : intolerabili temeritate hortatur  
suos ad ingressum .

146 Libri V. Argumentum,

24 Eius currus in ipso ingressu fingitur, ad malum omen, & exterrendam temeritatem, dissidentibus rotis hærere in alto fabulo.

25 Acron fingitur prudens Vates, qui Regem dehortetur ab ingressu, & redditum suadeat dimisissis Hebræis, quibus militant elementa.

26 Exploditur, ut meticulosus, ab insano Principe, quem obdurati cordis cæcitas præcipitem in exitiu rapit.

27 Vigiliâ noctis quartâ Deus excitatus tandem ingressis in mare Ægyptiis omnibus, canere signa iubet ad pugnam è summa columna coruscante vndique, & in Ægyptios fulgurante, ut pœnitentiam suadeat, & dedicationem. Hæc illi prima velitatio: post apparent alæ cœlestis equitatus vtrinque dispositæ ad pugnam.

28 Moyses spectatur iuxta columnam sublimis, minaci vultu, & virgâ imperatoriâ: tum statim fulmina displudente nube densissima in hostes mittuntur.

29 Secunda acies, & pugna, ab Equitibus Angelis, qui fluctibus specie marinorum monstrorum inequitantes, deuoluunt aquarum montes, ut flumina in Pharaonis currus, & Equites. Hic fingitur luctuosus Lycophronis adolescentis regij casus.

30 Laudat morientem iuuenem Pharao, ut aliis animos in desperatione addat.

31 Amasis Principis casus similis in equo cum Pistrice pugnantis: aliorum tacendæ mortes in tanta confusione stragis.

32 Confusa omnium strages, cadentibus cum ingenti fragore vndique aquarum montibus, ut Nili Catadupis.

33 Trepidatio & fuga Ægyptiorum sera, D O M I N O pugnante pro Israële.

34 An detrusi omnes ad Inferos æternùm damnati, qui cum Pharaone naufrago fluctibus hausti? Probabile est, ut in Noëtico diluvio, plerosque pœnituisse criminum, & saluos esse per salutarem pœnitentiam.

35 Naufragij generalis facies clausâ vndique fugâ: auari Eurymedontis querelæ de infossis talentis.

36 Phara

36 Pharaō seruatus ad catastrophēn spectator , & Actor, Editórque : natant ad illius latera Iannes , & Mambres illufi à Dæmone , promisso sepulcro in hortis , de quibus Palladius in Vita S. Macarij , vbi falsò credidit Ægyptus conditos illudentibus Dæmoniis per oraculum . Verè in mari extincti ad Inferos detrusi sunt sine pœnitentia .

37 S. Michaël illos Antichristi cum Pharaone ante- ambulones fulmine percussit .

38 Pharaonis casus , conscientiam scelerum frustrà stimulante Rhamnusia .

39 Extrema obstinatio sine pœnitentia .

40 Indignantis querelæ superbissimæ .

41 Quærerit mortem in aquis .

42 A S. Michaële transfigitur fulmine , sicut aliquando mactandus Antichristus : & iniecto plumbi talento mergitur .